



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 4. Alij Conceptus de eâdem materia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

apprehenderunt fusum. Non timebit domus sua à frigoribus nivis; Omnes enim Domestici eius vestiti sunt duplicibus. Hi surrexerunt Filii eius, & beatissimam predicaverunt: vir eius & laudavit eam. Multa Filie congregaverunt divitias, & supergressa es universas. Hoc, inquam, exemplum imitare, Materfamilias, & similem tu, quoque à DEO benedictionem similem à Domesticis laudem tibi pollicere.

Epilogus.

Atque hæc sunt quinque præcepta, quæ ad artem bene ministrandi rem familiarem maximè opportuna, utiliaque mihi sunt visa; quæ proinde sicut speciali cum affectu vobis communicavi, ita speciali quoque diligentia à vobis observari desidero, certòque spondeo, quòd, quantò diligentius observaveritis, tantò majorem in temporalibus æquè ac Spiritualibus bonis benedictionem sitis obtenturi. Itaque claudendo concionem, & illis Salomonis prov. 7. verbis vos adhortor: *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea recondita tibi serva mandata mea, & vires, diceturque cum veritate: Hodie salus facta est huic domui.* Amen.

§. IV.

Alij Conceptus de eadem materia.

1. Præter conceptum priori §. assignatum possent etiam Audifores ad convivium Spirituale invitari, atque adeò dicere posset Concionator, antiquam esse consuetudinem, ut in die Dedicationis unus Amicus alterum ad Convivium invitet; hunc proinde morem se quoque tantò libentius Servaturum, quantò præstantius convivium à Zachæo paratum pro Convivis suis reperiat, illud nempe de quo Christus Joh. 6. dixerit: *Mens cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Quod quidem quàm pretiosum sit convivium, se copiosius in præsentem concionem demonstraturum. Pro propositione itaque narrare potest, quòd Norimbergæ quondam Vir quidam primarius convivium apparaverit, ex tribus mensis sibi superimpositis constructum, quarum prima solas fictulas epulas (Schauessen) continebat. Quibus cum oculi satiati fuissent, illà mensà remotà alia in eodem loco per machinas attollebatur.

bat, quæ meris solidis ferculis repletæ erat. Tandem & huic ablata tertia pretiosis bellariis instructa substituebatur. Huic ergo convivio probetur voluntas divina similis. 1. quia est similis *cibus fœtibus*; cum etiam illam contemplari quidem & admirari, non autem tangere, id est, judicare liceat; sed potius semper & assiduo dicendum sit: *Iustus es, Domine, & recta iudicia tua.* quem in finem narrari potest exemplum primum aut secundum ex Spec. Exempl. V. Judicium DEI. 2. Quia est similis *cibus solidis*, nam perinde ut isti, satiat appetitum animæ: *nutrit* conservando vitam gratiæ: *augmentat* faciendo vehementer crescere, uti apparet in Abrahamo, B.V. Christo: *roborat*, ut in Christo iterum ad Mentem Oliveti orante, in Abrahamo, Jobo patet. 3. Quia continet etiam bellaria, id est, singularem animo quietem & lætitiâ conciliat; uti probari potest, tum per Salomonis testimonium Prov. 12. dicentis: *non contristabit iustum, quidquid ei acciderit*: tum per exemplum Mendici semper lætantis apud Taulerum & Drexelium in Heliotrop. l. 2. c. 1. Invitentur proin Auditores ad frequentandum hoc convivium, debitòque ex illo fructus percipiendos.

II. Posset quoque aliud convivium instrui, illud scilicet, de quo Salomon Prov. 15. dixit: *Secura mens quasi iuge convivium*: Ita ostendatur, quàm læti sint illi, qui habent bonam conscientiam. 1. *Ante mortem*: juxta illud Thomæ Kemp. l. 2. c. 6. *Si gaudium est in hoc mundo hoc utique possidet puri cordis homo*, seu bona conscientia. 2. *In morte*, juxta eundem l. 1. c. 25. dicentem: *Gaudebis semper vespere (mortis tuæ) si diem (vitæ tuæ) insumas fructuosè*, nam sicut vita, mors ita: & qualis sonus vitæ, talis Echo mortis. 3. *Post mortem*: quia tunc audiet illud Matth. 25. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*. *Intra in gaudium Domini tui.*

III. Posset ostendi, quomodo perpetuam Dedicacionem, id est, lætitiâ habere quis possit per perfectam voluntatis suæ cum divina conformationem. Quem in finem servire potest totus Dialogus, quem S. Catharina senensis cum Christo instituit, in quo petivit à Christo, quomodo perpetuam pacem habere quis possit? & admonita est, quòd scilicet firmiter debeat credere, *DEUM esse potentissimum, sine cujus voluntate*

luntate nihil accidere possit: esse etiam *sapientissimum*, quod sciat omnia, quæ videntur, mala, in bonum convertere, quod etiam ut benignissimus seu optimus, qui proin etiam vel ex malo semper bonum elicere. Quæ omnia fusius in D.ologo citato videri, aut etiam iis, quæ Rodriq. p. 1. tr. 8. & Drexelius in Heliotropio toto libro 1. & 2. disserit, didici possunt.

IV. Possent ostendi, cur & quomodo Christum cum Zachæo in Hospitio cordis sui quisque excipere debeat, videlicet, quia habet omnes conditiones ad gratum Hospitem requisitas. Est enim 1. vir magnæ authoritatis & dignitatis. 2. Est pariter munificus & liberalis. 3. Est amantissimus suorum Convivarum, nec eos dimissurus est, donec ipsi sponte recedant. Unde excipiendus est vicissim 1. *Hilariter*, sicut Zachæus ipsum gaudens excepit in domum suam. 2. *Liberaliter* juxta ejusdem Zachæi exemplum dicentis: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* 3. *Stabiliter* ad exemplum Sponsæ dicentis Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.*

V. Possent varia præcepta inculcari, per quorum observationem quilibet Homo salvari itaq; ei dici possit: *Hodie saluta facta est hinc, domui, qualia præcepta sequentia esse possunt.* 1. *DEVM time*: juxta illud Davidis Ps. 33. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* 2. *B. Virginem & Sanctos cole*: Quia his cum veritate accommodari potest illud Prov. 8. *Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* 3. *Dilige proximum tuum sicut teipsum*: quia ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi, ibi ipse est in medio eorum, salutem utique operans. 4. *Defunctos miserere*: Beati enim, teste S. Augustino de serm. Dom. *quæ subveniunt miseris, quoniam eis rependitur, ut per misericordiam Dominum à miseria liberentur.* 5. *Patiens esto*: quia per multas tribulationes oportet introire in regnum DEL. Alii hunc modum alia quoque præcepta excogitari & explicari possunt.

VI. Possunt diversis Statibus Encœnialia dona (*Kirchweyhshenkung*) offerri, v. g. 1. Clericis Breviarium, ut discant rectè orare. 2. Magistratui libra, ad quam summa cuique justribuant. 3. Maritis Pileus, ut studeant libera

tem suam retinere, & uxoribus, aliisque Domesticis non nimis conniveant. 4. Uxoribus Speculum ludicrum, in quo turpis videatur etiam amœna alioqui facies, ut discant, pulchritudini corporali non nimis fidere, & majorem internæ pulchritudinis curam habeant. 5. Juvenibus pannus pro veste, ut discant multo magis animæ ornamenta, puta virtutes, scientias, urbanos mores, quam corporis sectari, & quaerere.

CAPUT V.

De Praxi Conciones in Patrocinio Templi instituendi.

Cum de hac materia vix ullus ex impressis Concionatoribus Conciones aliquas proposuerit; aliunde tamen compertum sit, non levem aliquos difficultatem sentire in ejusmodi Concionibus fructuosè, & ad ipsum etiam tempus accommodatè instituendis, ideo huic etiam difficultati lenienda breviter Idea aliqua cum aliquot conceptibus ad conciones de eadem materia instituendos servientibus hoc capite proponetur.

Exemplar

Concionis de ipso Patrocinio instituendæ.

Thema.

Posui Custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, & unumquemque contra domum suam. 2. Esaiæ 7.

Scopus.

Ostendendum, quomodo dies Patrociniij Templi fructuosè sit peragendus.

Syllogismus principalis.

Memoria magni beneficii est magno affectu & fervore celebranda; Atqui dies Patrociniij est memoria magni beneficii, ergo magna devotione & fervore quoque celebranda erit.

EXORDIUM.

Sapienter quidem ab Ecclesia institutum est, ut Singulis annis cujusque Templi Patrocinium celebraretur, sed non imme-